Cracov. Stud. Univ. Jagell.
Promotiones Philos. Ord.
1690 18 Aprilis

Jaskrzewic Michaelis: Arcus triumphales virtuti, doctrinae et honori XVI. secundae laureae Candidatorum variis eorundem insignibus adornati.

ARCVS
TRIVMPHALES
Virtuti Doctrinæ & Honori,
XVI. V.V. D.D. 2dæ Laureæ Cãdidatorum,
Varijs eorundem Insignibus adornati.
Dum
Sub exima Protectione
Illustrissimi & Reuerendissimi Domini
D. IOANNIS
de Máłachowice
MAŁACHOWSKI
DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ
EPISCOPI Cracouiensis DVCIS SEVERIÆ
Almæ Vniuersitatis Cracouiensis Cancellarij Fauentissimi.
Ac
Magnifico Perillustri & Reuerendissimo Domino.
D. M. IOANNE
MICHALSKI
S. Th: Doctore Ecclesiarum Collegiatarum: S. Floriani Præposito,
S. Georgij in Arce Crac: Custode, Almæ Vniuersitatis Crac: Seniore Patre,
Ac
Procancellario Meritissimo, & Ejusdem Generali, & Vigilantissimo
RECTORE
Post feliciter expeditum rigidi examinis certamen
In
Præmium Eruditi Laboris;
Magisterij in Artibus, & in Philosophia Doctoratûs,
LICENTIATI
In florentissima Nobilissimorum Hospitum corona
Ritu Solenni
RENVNTIARENTVR:
A. MICHAELE IASKRZEWIC Leopol:
Ejusdem Laureæ Candidato
In vim gratulatorij applausus & fraterni amoris
Opere Panegyrico
ERECTI.
Anno Christi 1690. Mensis Aprilis Die 18.

Cracouiæ Typis NICOLAI ALEXANDRI SCHEDEL S. R. M. Ord:

In Stemma
Peraugusti Capituli
LEOPOLIENSIS.



Iure triumphales Leo vendicat iste coronas,
Virginis intactæ quem pia planta premit:
Fxcubat, atq; pedes ambit, certosq; triumphos
Sperat, Bistoniam dum terit illa stygem.
Lunam contemnit: victricibus omnia sumit
Virginis à plantis, nam sacer iste Leo.

PERILLVSTRIBVS & REVERENDISSIMIS DOMINIS.

DD. PRÆLATIS & CANONICIS

Totiq;

Peraugusto Capitulo

Ecclesiæ,

Archicathedralis Metropolitanæ Leopoliensis,

Dominis & Patronis Amplissimis.

E*Tsi supra capacitatem meritorum nostrorum, non infra tamen dignitatem nominis* Vestri, *arcus locantur triumphales, cum perausto* Vestro *dedicantur honori,* Perillustres & Reuerendissimi Domini. *Æquum plané erat, eorum decori talem quæri conspectum, vnde & gloriosum in majestate tanti nominis, elegisse videantur theatrũ; & orbi, hanc cui se subdunt, ostendant, magnitudinem. Magnis inuictæ fortitudinis* Vestræ *titulis, excelsâ eriguntur mole arcus hi; quibus publicam spectare lucem, & in sapientiæ Orbis prodire faciem, perquàm arduum erat, nisi à nominis* Vestri *claritate, totum splendorem mutuassent. Et sané illustre sunt sibi auspicati lumen, quod accumulatis fulgoribus, majorem eis accumularet lucem: vbi & Diuinissima in stemmate* Vestro *Virgo, astrorum supergressa nitores, sereniores indicit dies, & orbe diffusus Lechico,* Vestri *Nominis splendor, ad sublimitatẽ luminis eos eleuare potest. Non immerito, hæc victricis gloriæ ornamenta, sub* Vestri *Nominis dignitate assurgunt; cum non alibi sublimia triumphorum insignia extolli deceat, quàm vbi nata victorijs capiendis virtus, meritorum suorum pedissequam habet gloriam. Vniuersa Triumphatorum encomia,* Vos, *quotquot estis, tot strenuissimos computandos heroes, exambiunt. Insuperabilem* Vestræ *mentis magnitudinem quamuis tacerent reliqua, Celeberrima Russiæ Metropolis claré loquitur. Cujus heroica virtus, magnis sæpe pressa periculis, ampliorem de medijs armorum bellorumq; furoribus, reportauit gloriam. Præter barbarorum perduellionumq; euibrata tela, Odrysia Luna formidabilem minata ecclypsim, eius ecclipsare non potuit magnanimitatem, cuius; turpi in fuga pallore deformis, pertimuit virium vehementiã. Quantacunq; illius gloria est,* Vestros *coronat vertices,* Perillustres & Reuerẽdissimi Domini; Vester *enim intaminatæ Religionis splendor, inuisum Othomanicæ Cynthiæ repressit lumen,* Vester *fidei zelus, Barbarorum domuit impetus, summa pietas fugauit hostium agmina, indefessa deniq; cura, magna ere-*

xit tro-

xit trophæa. Inuictā enim semper inter mille pericula decet eorum esse constantiam, quib⁹ felicissimè ILLVSTRISSIM⁹ *præsidet* CONSTANTINVS. *Cui⁹ Pastorali gubernandæ Ecclesiæ vigilantiâ,* Vestrâ *propagandæ religionis sedulâ curâ, inter Schismatum discrimina positi, illa tantò audentiùs superatis, quantò gloriosiùs e xemplari pietate incrementa fidei præbetis. Loquetur* Vos *Orbi posteritas, quos sæculis cōmendauit fama, extulit pietas, in immensum euexit fides & religio. Tantam vt orbis videret & reuereri posset magnificentiam, è sublimi septicollis stupuit Roma; & ne tam augustis Triumphatoribus, in præmium heroicis factis, sua defuissent honoraria, nouiter eam in* Vobis *sacro sumorū Prælatorū paludamēto decorauit. Hoc scilicet in murice cōsignare voluit dignos in* Vobis *hoc ornamēto effulgere animos, quibus Spiritûs Ecclesiastici pro* DEO, *& fide Orthodoxa, flamma planè cælestis, supra omnē purpurā ardet: vt jam meritò Victoriosis* Vestrûm *Nominibus, Arcus hi Triumphales dedicentur. Substernunt se itaq; Gloriosissimæ Triūphatricis* Vestræ *Virginis plantis, & in ampliorē sperant se euasuros excellentiam, si victore eius terantur calcaneo. Tributarium hoc debitæ Nomini* Vestro *obseruantiæ munus, gratiosum beneuolentiæ* Vestræ *exambit sinum. Æternùm* Vestra *Victura Nomina, beneficiorum amplitudine, sicut in submissis Russiaci Leonis catulorum cordibus, perpetuos signauere characteres, ita non aliter triumphare debuerant, quàm super ijsdem, gloriæ suæ fabricando fastigium. Exilis itaq; hic tenuis laboris mei partus, debito gratitudinis obsequio, in Vectigal* Vestro *cedit Nomini, quem deuicistis beneficijs, vel exinde gloriosa* Vobis, *erigi postulantes monumenta. Augustissimæ verò Imperatricis* Vestræ *excelsa victoria, quæ fastuosa Bysantinæ Lunæ calcat cornua,* Vobis *contra orientem positis, in amplissimis honoribus, & majori auge purpuræ, ad summa etiam culmina, assurgat in* Arcum Triumphalem

Ita vouet & precatur.

Perillustrium & Reuerendissimarum Dominationum Vestrarum.

Humillimus Cliens

MICHAEL IASKRZEWIC
Secundæ Laureæ Candidatus.

D. IOAN-

D. IOANNI CANTIO

Regni Poloniæ & Academiæ Craco- uienſis PATRONO.

Omnium arcus in coronã compoſiti tũbam eius coronãtes.

Cum Lemmate.

Cingimus Vrnam.

ORbis Arctoi columen perenne,
Lumen accenſum gelido Trioni
Mentium Phænix, Academicæq;
Gemma Coronæ.
Diue per terras celebrate Canti
Laudibus, cunctis, jubar eruditis
Frontibus lucens tibi dedicamus
Vota clientes.
Non triumphales decuiſſet arcus
Absq; propenſis animi tributis
Qui tuo cedant vigiles honori,
Carmine pingi.
Tu triumphorum Iagielonis aulæ
Solus es Princeps, ope præpotenti
Subvenis, celſas iter ad coronas
Ipſe recludis.
Sub tuis ſignis benè militantes
Carpimus laurus, neq; mira ſunto;
Eſt opus palmæ tribuantur, à te
Vincere doctis.
Principem tantũ veneramur ergo,
Corde demiſſo, tibi gratitudo
Noſtra ne deſit, fabricamus altâ
Mente trophæum.
Arcuum verò ſeriem ferentes
Singuli ex voto, damus in coronã
Quâ tuam circũ ſimul ambientes
Cingimus vrnam.

Siſtimus prono pia vota corde
Ad tuos Sacros cineres profuſi
Quidquid eſt totũ tibi conſecramꝰ
Accipe gratus.
Hìc perennantes vigeánt honores
Hìc triumphalis reuireſce palma
Gratijs manant quia Cantiani.
Buſta ſepulchri.
Ocyùs ſedes ſacra Vaticani
Sanctitatis te numero coronet;
In dies votis geminata vota
Addimus omnes.

Magnifico Perilluſtri & Reuerendiſsimo Domino.

D. M. IOANNI MICHALSKI.

S. Th. Doctori Eccleſiarum Collegiatarum S. FLORIANI Præpoſito, S. GEORGII in Arce Cracouienſi Cuſtodi Almæ Vniuerſitatis Crac: Seniori Patri, Procancellario Merittiſsimo

AC

Eiuſdem Generali & Vigilantiſsimo

RECTORI.

Trophaũ immortalitatis ſuper quo Arcus Triumphales appẽſi.

CVM LEMMATE.

In honorem nomenq; perenne.

JMmortale tuis meritis fabricare trophæum
Quo celſas animi dotes, magnosq; laborum
Sudores, decorauit honor; conamine caſſo
Mens agitat: quando ſuperas encomia laudum,
Ipſe ſupergreſſus ſolidâ virtute triumphans
Quæq; trophæa, tibi par, omni laudeq; major.
Sed tua longè alijs virtus operoſior, alta
Erigit ac magnæ tollit faſtigia pompæ,
Collocat inq; ſua clarum te mole MICHALSKI.
Fama niſi celebret tam grandem tamq; capacem
Indolis auguſtæ genium, fruſtra contendere votis
Audet Muſa, volens animo præconia tanto
Texere, ſola ſui virtus quem digna referre.
Artis vana etenim ſunt hæc molimina certé,

Maje.

Majeſtate pari tantos oſtendere velle
Poſſe viros; quorum cum geſta perennia, cunctas
Excedant mentes, vllo non carmine dici
Condignè poterunt; horum virtutibus æquum
Vt fiat Solium, vix credo poſſe parandum.
Neptuni fabricata manu non mænia Troiæ
Tantos expoſcunt auſus, quantos, ſapientis
Doctrinæ & meritis, cupias ſi grande trophæum
Exſtruere, eliciunt; Thebanæ conditor vrbi
Fundamenta ſuæ longè poſuiſſe minori
Ingenio potuit; ſtructâ Carthagine Dido
Non tam ſollicitos fertur ſenſiſſe labores.
Sola perennantes figit ſapientia greſſus,
Ac virtutis opus totum mortale peroſum
Æterno durare niſi vult tempore. tantam
Sola tibi poterit virtus extollere molem.
Sufficit ipſa ſibi celſum fabricare trophæum.
Excindet primùm famoſas Aſcia magni
Sanguinis, & gratâ ponet pietate columnas
Cujus tu Chiron fueras, prudentis Achillis,
Quem tuus ad magnas docuit veniſſe curules
Inſtituens animus. Vehet ac OPALINIA Navis
Magnificæ laudis cumulos, orbiq; celebrem
Te feret; ad cujus dum proceſsiſſe Lycæum
Te SIRAKOVIAM, ſapiens Academicus Orbis
Iuſſerat, hâc clarâ magnum jam luce probauit
Ingenium, quantumq; tua hæc valitura fuiſſet
Doctrina, Os Patriæ prudens OPALINIVS ille
Dictus monſtrauit; diuina oracula nempe
A quo Sarmaticus quondam ſumpſiſſe Senatus
Nouerat: ille tuam complexus pectore amico
Virtutem, placuitq; cui prudentia ſolers,
In te, vera viri nituit ſapientis imago,
Et non fucato vivax doctrina colore.
Vertice ſublimes aſſurgent inde coloſsi
Vnde tuæ creuit coſtantis gloria mentis;
Ætas ſera nimis tam grandia geſta ſtupebit
Dum recolet memorans, fortem te iviſſe per ipſa
Monſtra, per oppoſitos vario diſcrimine tractus
Obicibus ruptis ſuperaſſe pericula magna,
Perq; vices varias, dubiasq;, obſtacula, ſummos
Omine tam fauſto te perveniſſe ad honores.
Quos vbi tu retines ſenio venerande ſupremo,
Fama loquax animis taciturna ſilentia rumpet,
Implebitq; tuis excelſis laudibus orbem.

Quisq; revolve sagax fastos, ac inspice, lapsos
In mentem revocans annos, illudq; notabis;
Paucos quam fuerit comitans fortuna, MICHALSKI
Quam solus propriæ stimulo virtutis adeptus,
Iam quinis vicibus magno fert dona labori
Tempora laurigeris præcingens docta coronis.
Sed quid splendidius lumen perquirit inanis
Cura tibi? summum dum cernit culmen honoris
In te; jam sapiens majus nil inuenit orbis
Quod jactare queat, prensas tu vincula bina
Sceptra geris, pariter Procancellarius Almæ
Spectaris Matris, dubium potuisset an vltra
Quid meritis conferre tuis, Academica Pallas.
Tanta trophæa tibi virtus tua summa paravit.
Quare hodie nostros illis appendimus arcus
Atq; tuo proni magno sacramus honori,
Vt potè sub cujus ductu retulisse triumphos
Atq; sub auspicijs laurus sumpsisse fatemur.
Sic in perpetuum vigeant tibi semper honorem
Laudis in eximiæ pondus, nomenq; perenne.
Sarmaticæ verò Præses tu magne Palæstræ.
Theologûmq; jubar, longævis Nestora vince
Annis, vive Pater cæli decorande corona.

CLARISSIMIS EXCELLENTISSIMIS

& Admodum Reuerendis Dominis.

EXAMINATORIBVS.

Clarissimo, Excellentissimo & Admodum Reuer: Dño:

D. M. IOSEPHO WISNIOWSKI

Philosophiæ Doctori & Professori Collegæ Majori. Ecclesiæ Collegiatæ S. Annæ Scholastico Astronomiæ & Geometriæ Ord: Professori.

ac interea

Philosohicæ Facultatis Decano.

Clarissimo Execellentissimo & Admodum Reuer: Dño.

D. M. MARTINO OSLINSKI

Philosophiæ Doctori & Professori Collegæ Majori Ecclesiæ Collegiatæ S. Annæ Canonico.

Claris-

Clarissimo Excellentissimo & Admodum Reuerendo Domino.

D. M. GASPARI BENEDICTO KAWALCZEWSKI

Philosophiæ Doctori & Professori Collegæ

Minori Ecclesiæ Collegiatæ SS. Omnium Canonico, Eloquentiæ Collegij Minoris Ord. Prof.

Arcus cælestis stellis distinctus.

CVM LEMMATE.

Hoc lumine sapientia splendet.

SPlendorem minuit, quisquis inanibus
Curis appetijt, lumen vt adderet
Clarisingenijs, vel tenui cupit
Exornare Panegyri.

Fulgores nitidos eximij uiri
Excedunt meritis, qui radiantibus
Flammis ingenij; Solis in ignibus
Fulgent ac oculos fugant.

Tu primùm rutilo lumine verberas
Mirantes oculos, splendidius jubar
WISNIOWSKI capiens, cælitùs inditum
Quid dat sacra scientia.

Per terras etenim non tibi serpere
Concessum est humiles, astra tuæ locus
Virtuti emeritæ, quæ caput intulit
Cæli sidereis polis.

Orbis Sarmatici tu quatuordecim
Annis Archimedes, sidereo erudis
Mentes ingenio, murice qui modo
Splendes purpureo Sophûm.

Perstringit pariter lux tua palpebras
OSLINSKI vitreas, ac vehementius
Lumen, nobilibus cur quoq; mentibus
Non ardentior imprimas,

Splendorem roseum cùi sapientiâ
Fulgens accumulat, quam cathedræ sophûm
Sat dixisse queunt, passibus arduam
Emensum solidis viam:

Jmmortale decus Rostra Tylicia
Allatura tibi, te calamo simul
Facundum ut referant, oreq; melleo
Jnvitant cathedris suis.

Resplendes similis, tu sapientiæ
Clarus luminibus, ac radijs simul
Doctis conspicuus, Palladijs nites
KAWALCZEWSCIVS ignibus.

Novit stoa tui robur acuminis,
Ex te delicium suadaq; suscipit;
Te juris themidis fulgide dotibus
Clarum gloria prædicat:

Cælestis meritò vos igitur manet
Arcus, siderei luminis integer;
Jn vobis siquidem, cælitùs indita
Resplendet sapientia.

Vester fulget honor quam bene, sidere
Clarus multiplici; cælum Academicum
Quos stellas numerat præcipuas sui,
Nec non grandia lumina.


Non umbratilibus vos nitidos loquar
Verbis, lux oculos dum fugat altior:
Annis ac radijs perpetuis nite
Triplex lux Academica.

ARCUS

ARCVS
TRIVMPHALES.
Varijs Insignibus Adornati.

I. V. D. ANTONIO WOSINSKI.

Arcus, supra tribus Crucibus



quem: Pomum insignitum,

Cum Lemmate: Omnia complectitur.

VRbs te Craciadum magnorum viscere fudit
WOSINSKI celebris clara propago Patris.
Stemma tuo decori præfulgns, omine fausto
Præsagit laudes cum genitore tibi.
Scilicet in pomo magnum tibi porrigit omen,
Quod trinæ cupiunt condecorare Cruces.
Et non immeritò: potuit nam nulla figura
Dotibus eximijs aptior esse tuis:
Sed cunctas superans illisq; capacior vna
Sphærica, quam pulchro circulus orbe rotat.
Quidquid enim vastum sapienti conditur orbe
Hoc clausit genitor splendidus omne tuus.
Inter Doctores sublimis, in Vrbeq; clarus
Prudens Consilio quam regit ipse suo.
Ast non absimilis genius spectatur & in te
Indolis eximiæ tu quoq; signa refers.
Fausto perge gradu; magnos ferat orbita honores
Ipseq; sis Pomi celsa corona tui
Dux fortunatus nostrûm, discrimina vince
Namq; triumphorum sunt tibi signa Cruces.

II. V. D. ANDRÆ SOKOŁOWSKI.

Arcus supra circumdata mentis



quem: Rosa spinis cum tribus ferraratri.

Cum Lemmate: Fert hæc cultura rosas.

Ordine

ORdine consequitur primo te Palladis arcus
Docte SOKOŁOWSKI: quem virtus digna trophao
Floris odore beat, cernantur in Icone floris
Ingenij dotes, & contempletur acutâ
Quivis mente, rosam tu cur in Stemmate præfers,
Nempe rosas loqueris roseum te stemma decebat.
Quidquid odoris habet rosa, svaviloquentia tantùm
Dat tua in eloquio decurrens ore diserto,
Ardua perrumpens animi constantia magni,
Inconcussa Rosa est veluti circumdata spinis.
Aduersæ sortis frangi non viribus ullis
Virtutis candor poterit, sed pulchrior inde
Prominet; & roseum dum cingunt spicula florem,
Officiunt nunquam, sed sunt tutamen & arma.
Non mea Musa de hinc digno te carmine dicet,
Sed Cathedræ potius nomen famamq; loquuntur,
Facundus sermone queis patuisse venusto
Es toties visus, celebrîs cûi magna præiuit
Fama SOKOŁOVII, calamo celebrandaq; docto.
Tutus honoris iter tu scandas, Vomeris unci
Nam post culturam roseas succrescere cernis
De terra segetes, gressus decurre relictos
Maiorum & patrui, mors immatura dolendum
Quem nouiter rapuit, tibi continuanda reliquit
Quæ fuerant vitæ spatio, virtute paranda.

III. V. D. CASIMIRO FREIOWICZ.



Arcus supra quem Gladius
vite cinctus in summitate cu-
ius loco acu minis botrus
Desinit in

Cum Lemmate: præmium


CInctus nectareis tibi
Botris mucro minax, præmia porrigit
Virtus quæ meruit tua
FREIOWICZ, solidis passibus ardua
Victrix exsuperans: grauis
Est index animi ferreus ensis hic,
Nullus difficilis quia
Quisquam nodus adest, mentis acumine
Quem non soluere strenuus
Semper sufficias; hinc meritò botro
Cinctus multiplici nitet,
Per nodos siquidem tum per acinaces
Nec non acro ceraunia.

Est

Est ad magna datum tendere præmia.
Vt qui tanta pericula
Felix Herculeis vinceret ausibus
Dignus sit diademate.
Altos scande gradus, atq; per obuia
Hic discrimiã fortior
Perrumpat, gladius mille pericula.

IV. V. D. GASPARI TOPINSKI.

Arcus, supra quem: Liber a-
pertus nullo distinctus cha-
rectere.



Cum Lemmate:
Fama notabit.

DIuersa multi iactitent insignia,
Illisq; laudes contineri proprias
Dicant; laudis est tuæ satis
In præmium dum cessit hic Liber tibi.
Togata Pallas namq; quidquid computat
Encomiorum gloriæq;, non nisi
Dono librorum clara semper hoc habet.
Quo clarus exstitisse visus est honor
Et laus perennis eruditorum, liber
Id nonne solus fecit? ergo istum tibi
Excelsa virtus donat, illum literis
Nullis notatum, quem reliquit indoli
Tuæ notandum, vt ipse possis scribere
Ad omne doctrinæ genus, promptas tuas
Dotes. Modesta sive mensq; negligat
Ab orbe laudes atq; celsam gloriam.
Proinde librum ferre quidquam noluit,
Quod sit legendum. fama supplebit tamen
Hoc munus, altis te ferendo laudibus
Magnos honores adnotans in hoc libro.

V. V. D. STANISLAO MOLĘDZSKI.

Arcus supra quem Cor Lauru
præcinctum, è cujus medio, tria
gemmei coloris lilia surgunt



Cum Lemmate:
Candescunt suffusa cruore.

Iam

IAm desiste sagax ars, imitantibus
Naturam, varijs sæpe coloribus
Quæ mentita modum, tingere cerneris
Flores, in pretium sui.
Vt vernent rubei sanguine præcipis
Suffundi madido, desine fingere,
Cum nutrita vides sanguine cordis, en
Surgunt candida lilia.
Virtutis niueus scilicet eminet
Candor. qui superat lilia, pulchriùs
Hoc in corde virens integritas quoq;
Est intacta MOLEDZSCII.
Iam non sollicitus quære fenestrulas
Ad cor Mome, vides nil nisi lilia
Ex hoc prosiliunt, puraq; prominet
Non fucata scientia.
In spinis Logicæ lilia protulit,
Orator pariter lilia dixerat,
Hoc cor quale vides, sic decuit quoq;
Vt sit talis & integer.
Florescas igitur, tu modo candidis
Totus splendidior flos in honoribus,
Virtutum meritis, ac sapientiæ
Doctis plenus odoribus.

VI. V. D. IOANNI MIETELSKI:

Arcus supra quem. Heliotropium obuersum Soli.



Cum Lemmate: Non inferiora secutus.

NOn est nobilior corona laudis
Cunctis floribus, orbe parta toto,
Illâ: quæ radios secuta Solis
Florem condecorat; beata certè
Hæc est semita, Sol cui coruscus
Demonstrare solet vias latentes.
Hinc errant, tenebris diem inuolutum
Viuunt, quos radijs benigna Pallas
Illustrasse suis, reperta nunquam.
Nec non cæcutiat necesse semper
Is, doctrina cui fauens, decoram
Lucem non tribuit, relinquiturq;
Virtus in tenebris opaca crassis.
MIETELSKI, sapiens scientiarum
Te lux consequitur serena, lumen
Effundit, cupiens aprica quæq;.

Iam

Iam non inferiora tu secutus,
Tanto lumine; fulgidos honorum
Clarus scande gradus, virentibusq;
Virtutum folijs, suprema magno
Solis lumine consequaris, opto.

VII. V. D. & Adm: Reuerendo D. HYACINTH[O] CYGNARSKI. Canonicorum Regularium [Custo-] dum Sanctissimi Sepulchri Domini Hierosolymitani C[onuen-] tus Generalis Miechouiensis, Professo Presbyter[o].



Arcus supra quem. In Cru-
ce Canonicorum Regulari-
um, Custodum Sanctissimi
Sepulchri Domini, Lapis
Hiacinthus.

Cum Lemmate: Et decus & pretium.

BEllis assuetus prodis, numerare triumphos
CYGNARSKI doctus, victricia castra secutus
Heroum, Christi quos spectat cura sepulchri,
Et quos Custodes pulchro complexus aceruo
Miechouiæ sacer ordo nutrit. sapientis arenam
Palladis ingressæ, celsis non absq; trophæis
Victrices patuere tuæ, magnisq; triumphis
Ingenij dotes; hinc cum sua munera cunctis
Pallas distribuit, tibi talis panditur arcus:
Ordo tuus quam ferre crucem geminam solet, istam
In decus & pretium lucens Hiacinthus adornat.
Cælesti hunc lapidem fecit natura colore,
Quo contemplatrix, cæli tua vita nitebit.
Majestate quidem crux hæc sibi sufficit ipsa,
Vt poté quod multos, hæc qui sub signa vocati
Claros doctrinâ numeret, meritis Ecclesia multos
Præstantes videat, vester quos continet ordo;
Inde tamen majus pretium lumenq; putabit
Accessisse cruci, si gemma hiacinthina fulget,
Ex te CYGNARSKI; dulcis quem suada diserto
Prædicat ore loqui, nec non arcana sophorum
Solventem virtute pari; sacrisq; loquentem
Chrysologi Cathedris sermonem. hinc celsior ipse
Et decus & pretium sublimius ordinis esto.

VIII. V. D. MARTINO CHVDZINSKI.

Arcus, supra quem Tres lapides pretiosi infra vero Agnus.



Cum Lemmate: Pretiosis pascitur iste.

CVm tua CHVDZINSKI virtus fastigia tollit
Altiùs extolli celsa trophæa iubet.
Fundamenta sibi lapides posuêre paterni,
Sit super hæc arcus, sub quibus agnus erit.
Frustra Iason aquas remis pelagumq; fatigat,
Auro qui diues vellus, habere cupit.
Gemmis ac auro pretiosior inde rediret,
Nec ventus rabidas pertimuisset aquas.
Agnus hic aurato nimirum vellere splendet,
Cûi pretium triplex fert nec inane lapis.
Attonitam demùm mentem dubiamq; revolve
Pabula cur lapides, mitis hic agnus libet?
Dic alios herbis, molli vel gramine pasci
Ast tantùm legit hic, ex adamante cibum.
Nullus abhinc adamas hædi se sanguine frangi
Iactitet, hûic agno, tam graue robur inest.
Scilicet in duro prudens, adamante notabis
CHVDZINSKI Patrui grandia gesta tui.
Eius quem pietas, virtus, sapientia, candor,
Gneznensis Cathedræ fecit honore frui.
Felix hic agnus tecum conscendat in altum;
Semper sublimis scandat honoris iter.
Sanguine coniunctus tibi, prælusisse videtur
Qui Patauina tulit sceptra togata, PIPAN.

X. V. D. CASIMIRO KVBALEWICZ.

Arcus supra quē duæ Lunæ sibi obuersæ cum tribus stellis in quarū vertice Crux,



Cum Lemmate: Cælestis nosceris inde,

Crux

CRux triumphalem tibi signat arcum
Quem coronauit geminata Phæbe,
Et triplex sidus decus addit omne
Lumine claro.
Terra splendores remove minutos,
Dona cælestes animos suprema
Præmient fas est, quibus in polorum
Est labor arte:
Te KVBALEWICZ loquitur sub istis
Musa cortinis, tibi gloriosum
Lumen accendit, rutilans Olympus
Sidere trino.
En triumphales tibi struxit ignes
Luna, stellato radians nitore;
Quem docet cælos petiisse mente
Sacra Mathesis.
In Crucis signo, numera triumphos,
Symbolum æterni geminata Luna
Nominis; versâ facie: perennes
Signet honores.

XI. V.D. LAVRENTIO ZELECKI.

Arcus, supra quē Tres Rosæ

Cum Lemmate:
Abstergunt Rosæ sudorem.



IAm succede ZELECCII
Virtus, cui Roseum stemma, decus dedit.
Perfecto numero triplex.
Sudores, sapiens cum speculatio,
Doctis frontibus exprimit,
Abstergi roseis floribus expetunt.
Nec iam vana Semiramis
Hortos glorificet per Babyloniam:
Nec vestigia figere
Naturæ simulet, pingere vultibus
Humanis, satagens rosas.
In te floridior fabricat indoles
Totum, quo niteat rosa.
Virtutum bonitas, replet odor quasi
Cunctos; Ingenij quoq;
Cum florere vigor noscitur optimè.
Velox perge, rosaceum
Quo te stemma vocat, plenus odoribus
Doctrinæ; sapientia
Sublimes meritis substituat gradus.

XII. V. D. STEPHANO ROSOŁOWSKI.

Arcus, ſupra quem: Frons Oliuæ, quam circumplexi Serpentes

Cum Lemmate: Rerum ſapientia Cuſtos.



VErnat victori placidæ tibi ramus Oliuæ,
Quam ſerpens duplicatus adornat.
Hic famæ laudisq́; patet doctrina parandæ
Atq́; modus pariter retinendæ.
Vincere nimirum tantùm non ſufficit; ipſa
Si rerum ſapientia, cuſtos
Non ſit; quæ magnos ſcit conſervare triumphos
Vincendi normamq́; parare,
Hâc duce ſecurus, ſuperare pericula ſumma
Quisq́; poteſt, ac ardua quæq́;
Palladis ex acie ROSOŁOWSKI tanta reportas
Præmia, quæ virtute parantur.
Fertilis hæc arbor, pridem ſacrata Mineruæ,
Grande tuo decus addit honori.
In te quæ patuit rerum ſapientia docto,
Hos ramos erexit Oliuæ,
In cætu ſpectata tui doctrina ſophorum,
Laudes, os meruitq́; diſertum.
Quo ſapiens te vexit honor, jam pace fruaris,
Et ſublimior, altiùs ito.

XIII. V. D. SIGISMVNDO LISOWICZ.

Arcus ſupra quem, Corona aurea

Cum Lemmate: Præmium pretioſum laboris.



AVguſtæ indolis eſt corona ſignum,
Auguſtam pariter coronat illa.
Mentem, ſcilicet altius LISOWICZ
Te ſperare iubet, mero tibi auro.

Hoc

Hoc nectens diadema. dignus inde
Vt dono aurifero patere possis,
Aurum te solidum probata multis
Virtus ignibus exhibere visa.
Hinc cernat modo, quisq;, diues vtrum
Ornet quemlibet aureis coruscum
Scintillis diadema. non nisi quos
Doctrina pretium valore magno
Cunctis exhibet; aurea hæc corona
Doctos præmiat, vt laboriosos
Sudores, pretiosa possit auro
Sors abstergere. gemmeis fruaris
Sæclis vimine laureatus isto.
Nunc suppone caput, corona cingat
Diues tempora, præmietq; doctos
Præstantis pretij ferax labores.,

XIV. V. D. ALBERTO WASNIOWSKI.

Arcus supra quem. Solea
intra quam rosa, supra
Soleam stella.



Cum Lemmate:
Hos gressus stella coronat.

Ausibus quantis, superasse magnam
Palladis prudens, aciem togatæ
Visus es, monstrat Soleam rosatam
Stella coronans.
Nonnisi cæli capiat decores
Expedit, doctum sapiens in ipsa
Verticem, sacro genio beatus
Qui tulit astra.
Præmiat cæli pariter corona
Nempe virtutem, cui per virentes
Progredi commune rosas, rosisq;
Cingere plantas.
Passibus virtus solidis, ad istud
Clara WASNIOWSKI tua, per roseta
Præmium venit, soleata namq;
Esse videtur.
Ergo tu magnos adeas honores
Hâc iter tutum soleâ paratur.
Quodq; calcabis, rosa fiat; ad quod
Stella præibit.

XV. V. D. ANDREÆ KVPINSKI. *Leopol:*



Arcus ſupra medio, abſq; ſpinis armata, gladiũ te- quem Roſa in deſuper manus nens

Cum Lemmate:
Non ſpina hanc ſed, dextera munit.

BElligerum nondum cur dextra recondidit enſem?
Victricis ſignum palmæ magniq́; triumphi?
Spina Roſas munit, quibus eſt tutamen in illa,
Sed tua ſpinoſo cingi non indiget vllo
Agmine, quam gladio victrici dextera munit.
Tutior in medio floret Roſa ſola, KVPINSKI:
Splendidior magni lauru præcincta Parentis.
Poſt exantlatos cûi Zamoſcana labores
Sudorem terſit Pallas, celſamq́; coronam
Promeritum, docto celebrari fecit honore.
Et nunc, quem Tripodis planè virtute loquentem
Audit Muſarum ſedes, Vrbs clara Leonis.
Jam non ardores vlli, non tempus edaci
Dente Roſam abſumet, nam florens illa vigebit,
Magnus VBALDINI *tibi ſanguine iunctus, avito*
Septuplici quam fonte rigat: reſonans in murmure Tybris
Influit in mentes, ex his vocalibus vndis
Dicit VBALDINOS, *quos virtus clara Parentum*
Extulit ad ſummum Romani culmen honoris,
Purpureo fulſiſſe Patres, cum murice geſtit.
Et nunc Ruſsiadum niveo candore decorum
Metropolis ſummum Conſum veneratur in illis.
Hoc tu ferto decus, fortunataq́; per vndas,
Ad ſummos vectum Roſa, te deducat honores.

XVI. V. D. ANDREÆ ABREK. *Leopol:*



Arcus, ſupra ſum tendens, infra quem Sagitta ſurbinis Crucibus inſignita.

Cum Lemmate:
Hæc ad ſublimia tendit.

HIc restat arcus, quem tua maximis
In literato splendida dotibus
Adornat orbe, gloriosè
Clara suis Crucibus Sagitta.

ABREK avorum progenies, Patris
Et Patruorum celsior indoles,
Ac eruditorum virorum,
Ingenij docilis propago.

Ascendit altos in Patruo tuo
Gradus honorum, Laurigeris viros
Qui Palladis Zamoscianæ
Præmiat eximios coronis.

Ast & Parentis, dulce decus tibi,
Quo gaudet Vrbis Russiacæ solum,
Virtutibus famaq; claro,
Et meritis renitente magnis.

Tu laureato vertice lætior
Vestigiorum jam preme semitam
Parentis atq; Patruorum:
Summa petens celer assequaris.

IX. V. D. MICHAELI IASKRZEWIC. *Leopol.* Secundæ Laureæ Candidato, Authori Operis in Symbolum mutui affectus & gratulatorij applausûs.

ANDREAS CANTIVS SOKOŁOWSKI ejusdem Laureæ Candidatus offert, D, C,

Arcum; supra montis extremis levantes Stellam

Cum Lemmate:



quem: in terni collibus, duo Cygni supra medium,

In sublime ferent.

PHæbeos Tibi quos struemus Arcus,
JASKRZEWIC peramande, quæ Trophæa,
Victori genio Tuo? Colossos,
Quos magnis meritis Tuis Minerua
Ponet? quando Tua architecta virtus
Nobis Pieridum arte struxit Arcus.
Quo Te Roxiacæ medulla Stoæ,
Gratum Pegasidum cor, atq; ocelle,
Condigno celebrabimus cothurno?
Nostros conferimus Tibi corymbos,

Cuncta-

Cunctorum laureas quia decore
Ornasti genij Tui nitore.
Ridemus Berecynthios celebres,
Cyllenos, Helicones, & Pelasgos.
Ridemus Ioue nobiles Olympos.
Montes numine sunt celebriores;
Quos in stemmate Docte fers Pöeta,
His Pallas sibi fixit alma sedem,
Hos & Cynthius, incoluntq; Musæ.
Hinc terræ Tua mens perosa valles,
Sublimes satagit ferire Sphæras,
Quam jam ad sidera Diua fert Mathesis;
Ingens hæc Tua celsitudo mentis,
Attingit Themidos sacræ cathedras,
Et responsa sophûm altiora promens,
Omnes eminet inter Academi,
Cultores. niueo decore fulgens
Cygnus bisgeminus poli coruscum,
Sidus fert, probitatis alma monstrans
In Te signa, quibus nites togatus.
Ergo candidus absq; nube Phœbus
Longæuos faueat Tibi per annos;
Pallas laurigeros paret triumphos,
Et dignos meritis Tuis honores.

Eidem AVTHORI Operis.

STANISLAVS MOLĘDZSKI. Ejusdem Laureæ Cand: in vim amici & gratulatorij affectûs.

AVgusta magnis fama Quiritibus
Fecit triumphans esseda gloriæ;
Queîs vexit in sublime, longo
Per titulos celebrata censu

Trophæa: claris censaq; sedibus,
Cognata cœlo Nomina Cæsarum,
Per scuta perq; cædesq; vincens,
Ac celebres geminans triumphos.

Sic Roma quondam sæcula computans
Vixit, nec olim fama silentio
Oppressit Vrbem, quam perennem
Herculeis stabiliuit actis.

Concernit id Te munus, ab inclyto
Tendens in altum culmine montium,
O docte IASRRZEWIC Leonis
Russiaci decus, & propago.

Nam fama, pennis Te super æthera
Attollit auspex non remorantibus,
Virtusq; perquirit coronas,
Magna struens monumenta laudis.

Præclare Vates, quid memorem Tuæ
Dotes Mineruæ, diceris omnibus
Flos cultioris Tu iuuentæ,
Atq; animi decus elegantis.

Te

Te Stoa poscit, Te sapientiæ
Honore magno vestit, & aurea
Dignatur altis ipsa Pallas,
Tot meritis decorata, sede.
Tuóq; suadæ nectare protinus
Ab ore manant Attica munera, &
Effulgurantes ipse cœli
Mente potens, specularis Orbes.
Themis sacrati Te sibi vendicat,
Arcana juris dum Tibi porrigit,
Ferentq; Te in sublime Olores
Aonium decorando vatem.
Ergò remoto hâc obice prosperè,
Ad ipsa pergas culmina gloriæ,
Semper triumphans atq; vincens,
Auspicio meliore clarus.

Eidem AVTHORI Operis.
ANDREAS MARTINVS KVPINSKI.
Ejusdem Laureæ Candidatus.
In signum Amici pectoris, & Fraterni affectus taliter alludit.

INclyta; Laurigéri cœtûs, encomia per te
Arcubus erectis fulgentia, cumq; trophæis.
Palladis hastatæ & docti Virtute Gradiui,
Orbis Sarmatici genio visenda stetére:
Vates IASKRZEWIC, Leoburgi candida proles;
Pralia cum Nostri, certaminis, ardua, totq;
Gestorum Phæbi Gracij molimina, cantes;
Laus tua Te sequitur simili redimita Corona,
Et victura tuæ Virtutis, præmia portans.
Jncipit hanc laudem, nitidissima portio cœli,
Vraniæ & dilecta Tibi, Diuina Mathesis.
Hanc quia Tu retinens, sapienti pectore seruas,
Hinc non immeritò Tibi lucida stemmata fulgent.
Continuat laudem præcelsi ternió Montis-
Quo tua signatur sublimis gloria Musæ.
Atq; acies mentis tersissima, quâ super Orbes.
Æthereos ferris; dum, contemplaris amicam,
Cœlorum faciem, niueis dignissimus alis.
Ecce Tibi geminos mens candida præbet Olores,
Vt Nitor ingenij per tot fastigia rerum,
Tecum, celsus eat, nam cum victricia Nobis.
Arcubus excelsis dederis, monumenta laborum,
Tu quoq; Romuleos plusquàm virtute mereris,
Ferre triumphales arcus. Cytharæq; perennis
Jmmortale melos; tua quod pulcherrima gesta
Olim dulce canet. Tu vates viue Beatus.
Viue coronatis ex arcubus, vndiq; victor.
Sisq; Tibi Phæbeus apex, sis ipse triumphus.
Magnanimiq; decus, cum sis insigne Leonis;
Maxima te decoret Virtus & gloria Princeps.



SVB FELICISSIMIS AVSPICIIS

Magnifici Perillustris & Reuerendissimi Domini.

D. M. IOANNIS MICHALSKI.

S. Th. Doctoris Ecclesiarum Collegiatarum S. FLORIANI Præpositi, S. GEORGII in Arce Cracouiensi Custodis, Almæ Vniuersitatis Crac: Procancellarij Merittissimi, & Eiusdem Generalis & Vigilantissimi

RECTORIS.